APOLOGIA
DOCTORIS HUYGENS
ADVERSUS
ACCUSATIONES TRES
PERTINENTES
AD
Officium Confeſſarii.



LEODII,
Typis HENRICI HOYOUX ad inſigne S. Franciſci Xaverii.
M. DC. XCVII.

Cum Approbatione.

35 · 3 · T · 9

 67.

APOLOGIA
DOCTORIS HUYGENS
ADVERSUS
ACCUSATIONES TRES
Romæ primum ſcripto incœptas, deinde Lovanii prælo reſumptas.

CAuſa hanc Apologiam ſcribendi eſt, quod die 29. Aprilis anni hujus 1697. per Dominum Archipresbyterum Lovanienſem, ſignificatum fuerit Doctori Huygens Illuſtriſſimum Dominum Archi-epiſcopum Mechlinienſem ab eo tollere poteſtatem audiendi Confeſſiones & Concionandi, quâ plus quam annos 30. uſus fuerat: interrogatus Archipresbyter: num hujus ſublationis cauſam noſſet, reſpondit, ſe non ſcire.

Eodem die prœlo publicatum eſt ſcriptum ſive folium impreſſum his junctum, cui titulus: *Epiſtola Doctoris Theologi ad Virum in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum de Sigillo Confeſſionis & inquiſitione Complicis: Cum Reſolutione Viri item tertii in dignitate Eccleſiaſtica; nec non animadverſionibus ad utramque, per M.S.V.A.*

EPISTOLA DOCTORIS.

Lovanii 1. Oct. (*) (*) *Ann... nō exprimi... à Scr. bent...*

AMPLISSIME DOMINE,

DOm. (*) *Titio* heri miſſæ ſunt litteræ, quibus ei conceditur facultas audiendi Confeſſiones, nullâ factâ mentione D. (*) *Sempronii*. Prætereà jubetur D. *Titius* Archipresbytero promittere, quòd ſervabit adjunctas (*a*) Monitiones: quarum una, *quòd non petet nomen pœnitentis.* (*b*) An ergò cum ſingulis qualibet vice quaſi cum ignotis agendum? Deindè, *Quòd non inquiret in nomen complicis* (*c*) Nunquid hoc ſæpè neceſſarium? Prætereà

(*) *Nomen... paulo alit...*
(*) *Alii... qui qua non...*

Quod non utetur ſcientiâ ex Confeſſione. (*d*) Quaſi verò non liceret ob Confeſſionem negligentiæ ipſius Paſtoris, Confeſſarii, Patris aut Matris familias, penitiùs interrogare ejus ſubditos, pœnitentes, filios, & aliàs ſæpiùs ob Confeſſionem unius Sodalium aut Collegarum magis examinare alios. (*e*) Itaque *Titius* non audet talia promittere, & ſine promiſſione non intendit Confeſſiones audire. Peto quid nunc conſilii? (*) ....

*) *Omiſſa ad ... m non fa... unt.*

AMPLISSIME DOMINE,

Famulus Veſter N N.

*) *Sequitur ... ſi P. S.*

* Nunquid (*f*) Religioſi poterunt per iſtas Monitiones inſigniter defendere intolerabiles ſuas negligentias circa antè dicta? Numquid etiam poterunt per illas ipſas Monitiones (*g*) zeloſorum Confeſſariorum praxim impugnare?

Reſolutio Epiſtolæ adſcriptæ.

Ubi lex naturalis & divina concurrunt cum humanis Ordinationibus, hæ cedere debent: & (*h*) pariformiter Illuſtriſſimus ac Reverend. D. Archiepiſcopus pro hac ſua Diœceſi judicat intelligendas Inſtructiones Prædicatoribus & Confeſſariis obſervandas.

Infra-ſcriptus contuli hanc Epiſtolam, *item* Reſolutionem *ſic impreſſam cum ſuo autographo cujus character mihi notus eſt ut proprius: & teſtor accuratiſſimè convenire; paratus Scriptores deſignare item locum ubi autographum aſſervatur, ſi quis ex cauſa utcumque rationabili id petierit Lov. 29. Aprilis .697.*

M. STEYAERT V. A.

ANIMADVERSIONES

In Epiſtolam ac Reſolutionem.

A. MONITIONES. Meliùs infrà in Reſolutione vocantur, *Ordinationes*, vel *Inſtructiones à Prædicatoribus & Confeſſariis obſervandæ*: ſunt enim quæ Prædicatoribus & Confeſſariis tradi ſolent in ſua admiſſione ab Epiſcopis, cum obligatione ut obſerventur.

B. *An ergo cum ſingulis qualibet vice quaſi cum ignotis agendum?* Non videtur in eo magnum incommodum, niſi pro Confeſſariis, qui vel indiſcretè extra tribunal Confeſſionis notitiam Pœnitentis haurire ſtudent, vel cum Pœnitente inire notitias inutiles, aut etiam (cognitâ ejus infirmitate) nefarias. Inſtructione & Ordinatione Epiſcopali, quæ impugnatur, *ut ne Confeſſarius petat nomen Pœnitentis*, conſulitur hujus verecundiæ & fiduciæ.

C. *Nunquid hoc ſæpè neceſſarium?* Non putarunt id Epiſcopi moderni & antiqui. Vide Concil. Colon. in Epiſt. Paſt. Archiep. Mechl. Vide item Inſtructiones noviſſimas Epiſc. Antverp. circa Inquiſit. compl.

D. *Quaſi verò non liceret, &c.* Modus ſatis immitis impugnandi Ordinationes & Inſtructiones non ſolius Archiepiſcopi *Alphonſi de Berges*, ſed & aliorum cum ipſo Epiſcoporum, quos Spiritus S. poſuerat regere Eccleſiam Belgicam.

E. *Itaque* Titius *non audet, &c.* Sic ad hoc ut *Titius* auderet audire Confeſſiones, opus erat enervare has Ordinationes: illiſque in eum qui mox ſequitur modum enervatis, diu illas audiit.

F *Religioſi poterunt, &c.* Scripta hæc videntur ante condemnatam ab Alex. PP. VIII. Propoſitionem de Confeſſionibus apud Religioſos factis: nimis quippe indicant talium Scribentium animum erga Religioſos, dum alter ad alterum ſecurè ſe ſcribere autumant.

G. *Zeloſorum Confeſſariorum praxim, &c*: Videtur zeloſorum praxis aliquid non ſatis conſentaneum habuiſſe his Inſtructionibus: unde apparet non eorum omnis zelus eſſe ſecundùm ſcientiam.

H. *Pariformiter Illuſtriſſimus, &c.* Quis Illuſtriſſimus ac Reverend. D: Archiepiſcopus ſic explicare potuerit mentem ſuam, ſatis mirum eſt. Veriſſimum eſt Axioma Theologicum

hìc

hic aſſumptum : at applicare illud præſenti quæſtioni, quaſi Inſtructiones iſtæ Epiſcopales cum Lege aliqua naturali & divina confligant, non ſatis verum & ſecurum videtur. Ergò qui de Sigillo, Confeſſionis, & non inquirendo Complicis nomine, ſic ſentiunt, ac ſi meræ Ordinationis humanæ forent omnia; eludere poterunt quidquid hic Epiſcopi ordinaverint, & ipſi promiſerint. Viderit Eccleſia Dei.

APPROBATIO.

Quæ quæ clanculum ſerpunt & nocere valent, utilius in lucem protrahuntur ut ſaltem examinari poſſint; rectè hæc Epiſtola, & Reſolutio, cum modeſtis illis Animadverſionibus, imprimetur. Lovanii 3 Kal. Maii 1697.

HERM. DAMEN S. T. D. & Prof Ord.
Archipresb. Diſtrict Lov. Lib. Cenſor.

QUod attinet ad Epiſtolam, quam folium impreſſum, veluti à Doctore aliquo ſcriptam exhibet; nemo eſt Lovanii, qui neſciat, me tamquam Authorem ſive Scriptorem hujus Epiſtolæ deſignari.

Accuſatores mei (ut Lovanii eſt notiſſimum) aperte iſtud declararunt ſæpius. An autem revera à me ſcripta ſit, non adeò certò mihi conſtat, cum ab ejus ſcriptione, quod ex quibuſdam circumſtantiis colligitur, fluxiſſe debeant anni fortaſſis decem vel undecim.

Hæc præfatus ſubjungo deductionem eorum, quæ occaſione prædictæ Epiſtolæ facta ſunt, quo lectori innoteſcat, an juſtus ſit accuſandi modus, juſtaque ipſa accuſatio.

Quod ad modum ſpectat, jura ſecreti naturalis & commercii humani læduntur, dum publicatur Epiſtola familiaris, mediatè directa ad Illuſtriſſimum Dom. Archi-Epiſcopum Mechlinienſem, moderni ſcilicet Archiepiſcopi Prædeceſſorem; idque in cauſis ad officium Archi-Epiſcopi directè ſpectantibus: ſcripta eſt enim Epiſtola, ut ipſa de ſeipſa teſtatur, occaſione anxietatum, quas aliquis recens ad Confeſſiones audiendas admiſſus, patiebatur non parvas circa promiſſionem, quæ ab ipſo exigebatur de obſervandis inſtructionibus quibuſdam Confeſſariorum; ut propterea veroſimile ſit, dictam Epiſtolam ex archivo Archi-Epiſcopi deſumptam eſſe eum in finem, ut prælo divulgetur.

Jam verò quis dubitet, quin is, qui ſimiles Epiſtolas ſcribit, meritò velit illum, ad quem ſcribit, ad ſecretum naturale obligare; & is, qui ejuſmodi epiſtolas accipit, ſub iſta etiam obligatione illas accipiat?

Deindè quis impoſterum audeat epiſtolam aliquam ad Superiores ſuos vel ad alios ſcribere, ſi timendum ſit, ne fortè poſt decem annos ipſius epiſtola publicetur? Prorſus ut omne epiſtolarum commercium, quod tamen neceſſarium eſt, inter homines tollatur, ſi licitum ſit mutuas iſtius generis epiſtolas publicare.

Specialiter expendat nunc æquus quilibet Judex, utrum, ſi hæc agendi

ratio invaleſcat, poterit quiſpiam deinceps ſecure quiddam ſcribere ſuo Epiſcopo, quod toti mundo innoteſcere nolit.

Exemp. gr. Doctores Theologi, Facultas Sacra, Capitula Cathedralia, &c. dum ab Epiſcopis requiruntur dare judicium circa cauſas odioſas, ad bonum tamen Eccleſiæ ſpectantes, meritò reformidabunt ſenſa ſua exprimere, conſiderantes, quod ſub Epiſcopo Succeſſore facilè eorum judicium propalabitur in maximum eorum præjudicium. Quis item audebit umquam de defectibus Eccleſiaſticorum ſcripto informare ſuum Epiſcopum?

Numquid eodem pede omnia ſecreta Capitulorum, Epiſcoporum, aliorumque (quod juri naturali & poſitivo ſummoperè repugnat) manifeſtabuntur ſuccedente alio Epiſcopo diverſæ opinionis, aut parti adverſæ magis addicto?

Quis impoſterum audebit ſcripto denuntiare ſuo Epiſcopo quiddam illorum, quæ Pontifices Summi denuntiari præceperunt adverſus hæreſes, magiam & ſollicitationes ad impudica in Confeſſione Sacramentali?

Quam odioſum fiet Tribunal Pœnitentiæ, dum Pœnitentes iſtis mandatis denuntiationum coguntur parere, cum periculo, quod propalabuntur denunciata?

Non poteſt etiam non improbari circa accuſandi modum, quod in ſcripto impreſſo titulus ita ſit adornatus, ac ſi (quod odioſum maxime) epiſtola accuſata rea foret impugnationis ſigilli Confeſſionis; ita nempè ſolent Accuſatores noſtri, quovis quæſito colore, ſive opportunè, ſive importunè, ſive verò ſive falsò, ſemper accuſare aliquid ex iſtis materiis, quæ illius naturæ ſunt, ut homines indoctos, aut ſemidoctos, ac præcipuè rudem populum, natæ ſint conturbare; atque eorum in nos excitare execrationem & odium certè non exiguum, etiam ad primum ejuſmodi accuſationis auditum.

Iſtius generis jam per annos aliquot extiterunt tot Accuſationes falsò in nos vibratæ, de abroganda per nos frequentatione Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ; de cultu D. Virginis & Sanctorum invocatione ſubdolè everſis, de inducto intolerabili rigore in Sacramento Pœnitentiæ, uſque ad renovationem antiquorum Canonum Pœnitentialium, quos per nos reſuſcitari clamant Accuſatores noſtri.

De ſcopo, quem Ampliſſimus D. Steyaert habuerit, ut in titulo ſcripti, ſigilli Confeſſionis mentionem faceret, nihil ad me attinet judicare; ſufficit ſiquidem mihi, quod ſecurâ conſcientiâ toti mundo declarare poſſim, me conſtantiſſime tenere, ac tenuiſſe ſemper, quod ſigillum Confeſſionis caſu omni debeat manere inviolatum, ita ut nec Pœnitentis, nec Complicis nomen petere, nec ſcientiâ ex Confeſſione habitâ uti liceat umquam, cum ſigilli fractione, aut fractionis illius periculo ullo; ſive interim

propter

propter bonum aliquod procurandum, ſive ob malum qualecumque avertendum, ſive etiam directe ſive indirecte, fiat ſigilli violatio.

Denique (in quo ſpecialiter culpatur modus) epiſtola publicatur ſiniſtris animadverſionibus alterata & falſitatibus quibuſdam reſperſa.

Quod de *ſiniſtris* animadverſionibus dico, ſatis colligitur ex illis, quæ aſſeruntur ad litteram B. quid enim aliud inſinuant verba illa: *indiſcrete extra Tribunal Confeſſionis, notitiam Pœnitentis haurire ſtudent*, nimirum petitione nominis, *vel cum pœnitente inire notitias inutiles*, *aut etiam* (*cognita ejus infirmitate*) NEFARIAS.

Quo Animadverſorem abripit affectus, ut eos qui cenſent cum ſingulis Pœnitentibus non agendum qualibet vice quaſi cum ignotis, velit eo titulo facere ſuſpectos, ac ſi indiſcretè extra Tribunal Confeſſionis notitiam Pœnitentis haurire ſtudeant, vel cum Pœnitente inire notitias inutiles, aut etiam (cognita ejus infirmitate) nefarias; ac ſi etiam eo tenderet nominum petitio. Nunquid enim iſta petitio poteſt habere fines alios, eoſque juſtiſſimos? Videre eos licebit in Reſponſione ad accuſationem primam poſtea ſubjungendam.

Falſitatem exhibet animadverſio ad litteram H. ubi contra ſententiam Illuſtriſſimi Domini Archi-Epiſcopi defuncti, meam, ac Viri Ampliſſimi, cui Doctoris Huygens Epiſtola tradita eſſe dicitur, inſinuatur omnes nos ſentire, quod ſigillum Confeſſionis ſit merè ordinationis humanæ; etſi quemadmodum Scholaſtici univerſi, doceamus eſſe juris Divini.

Etenim ex eo, quod probemus hanc Illuſtriſſimi Domini Archi-epiſcopi reſolutionem: *ubi lex naturalis & divina concurrunt cum humanis ordinationibus, hæ cedere debent*, quodquè conſentire videamur Illuſtriſſimo Domino Archi-epiſcopo defuncto judicanti pariformiter intelligendas eſſe inſtructiones Confeſſariis & prædicatoribus obſervandas, ex eo, inquam, per animadverſionem ad litteram H. infertur, aſſertionem illam, *ubi lex naturalis & divina concurrunt cum humanis ordinationibus &c.* ſecundum nos etiam extendendam eſſe ad ſigillum Confeſſionis, & quod per conſequens, cenſeamus ſigillum Confeſſionis eſſe merè ordinationis humanæ, & hæc quidem eſt una falſitas.

Dicta Animadverſio ad litteram h. aliam præterea falſitatem involvit, dum reſponſum ſolidiſſimum Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi defuncti, hoc ſcilicet: *Ubi lex naturalis & divina concurrunt cum humanis ordinationibus, hæ cedere debent*; ſic interpretatur Animadverſor, quaſi Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus defunctus ſignificare voluiſſet, quod omnes Inſtructiones, quæ Confeſſariis traduntur, repugnent cum lege Divina; nam Animadverſor dicit, per hæc (nimirum per dictum illud Archiepiſcopi) poſſe eludi quidquid Epiſcopi ordinaverint, puta in dictis Inſtructionibus.

Procul certè iſtud aberat ab animo Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi,

cujus

cujus ſolummodo mens erat, dictas ordinationes, ubi legi naturali & divinæ repugnant, juri naturali & divino debere cedere. Non aſſerit autem, quod revera omnes illæ ordinationes ſive inſtructiones ſolummodo ſint ordinationes humanæ; ſed iſtas, quæ ſunt humanæ, ubi legi divinæ repugnant, debere illi cedere.

Porrò majoris explicationis causâ, dico, ſigillum Confeſſionis, cum ſit Juris Divini, numquam legi naturali aut divinæ repugnare; quod verò de non inquirendo Complicis nomine inſtructiones dicunt, ſi omnino univerſaliter accipiatur, comprehendit caſus plurimos legi naturali & divinæ conformes (in quibus procul-dubio Complicis nomen inquirere non licet) & præterea comprehendit caſus aliquos juri naturali ac divino repugnantes, ut ſi intelligas, quod in Complicem inquirere tunc non liceat, quando iſta inquiſitio exigitur ad impediendum (nimirum cum conſenſu pœnitentis) malum grave, præſertim reipublicæ; maximè tale, quod hac ratione ſolâ impediri poſſit: patebunt illa magis ex reſponſione ad Accuſationem ſecundam etiam poſtea ſubjungendam.

Tres enim accuſationes abhinc circiter menſes decem contra me Romæ allegatæ ſunt occaſione prædictæ Epiſtolæ, quæ à me ſcripta eſſe dicitur; id eſt, occaſione ejuſdem Epiſtolæ, quam 29. Aprilis anni hujus 1697. prælo publicavit D. Steyaert.

Quibus verbis accuſationes iſtas D. Steyaert in ſcripto ſuo expreſſerit, videre eſt in illo ipſo ſcripto impreſſo.

RESPONSIO GENERALIS
Ad Accuſationes tres.

CUm ex folio impreſſo colligatur, quod epiſtola, quæ mihi adſcribitur, tota ſit interrogativa; utpote conſilii causâ ad Dominum Archiepiſcopum defunctum ſcripta, poſſem hâc ſola ratione reſponſum declinare: quare non niſi cum proteſtatione, ut aiunt; & gratis, ac ſine obligatione reſponſa mea accipi deſidero, dum ad dictas Accuſationes jam iterum ſum reſponſurus (nam adhuc ſemel reſponſum eſt) quo pateat, non ſolum, quod injuſtus ſit accuſandi modus, de quo hactenus queſtus ſum, ſed etiam, quod injuſta ſit ipſa Accuſatio: quod reſpondendo ad Accuſationes tres, ſive ad tres unius Accuſationis partes, deinceps oſtendere conabor.

RESPON-

RESPONSIO

Ad Accuſationem primam.

PRima Accuſatio eſt, quod in Epiſtola ſæpius dicta, occaſione hujus inſtructionis: *Confeſſarius non petet nomen Pœnitentis*, ſcripſiſſe dicar: " An ergo cum ſingulis qualibet vice quaſi cum ignotis agendum? „ Ad quam interrogationem, etſi D. Steyaert reſpondeat: " Non videtur „ in eo magnum incommodum; „ aliter tamen cenſendum judico, idque conformiter ad Doctiſſimos & optimos quoſque de Animarum directione Scriptores: nam hi paſſim omnes ſuadent, ut Pœnitentes ſemper utantur Confeſſario eodem: neque exiſtimo ante D.Steyaert exſtitiſſe Scriptorem ullum, qui hoc conſilium dantes, aut illo utentes, ſuſpectos faceret ac ſi indiſcretè extra Tribunal Confeſſionis notitiam Pœnitentis haurire ſtudeant, vel cum Pœnitente inire notitias inutiles; aut etiam (cognitâ ejus infirmitate) nefarias, atque eo tenderet nominum petitio; ſicut de eo Confeſſarios petentes nomen confitentis, ſuſpectos facit Ampliſſimus Dominus Steyaert.

Dicendum ergo; ultra (quin & contra verum) D.Steyaert culpare & exaggerare, quod, ſervatis nimirum ſervandis, Confeſſarius aliquando petat nomen Pœnitentis: quid enim in eo mali, quando ſcitur quod Pœnitens velit eſſe notus Confeſſario ſuo ordinario, hic & nunc dubitanti, an revera ſit ille; ex. gr. an ſit Joannes, prout ſæpè contingit, dum duo fratres, præcipuè gemini, vel duæ ſorores tales, utuntur ſemper Confeſſario eodem, qui forte impræſens ignorat, ſitne ſenior, an fortè junior, qui nunc adeſt; atque hoc titulo credit eſſe periculum, ne ſeniori imputet, quod confeſſus fuit junior, vel èconverſo.

Similia (ſi Confitentis nomen non petatur) facilè contingent circa plures Studioſos ejuſdem ſtudii, ætatis &c. circa quos tamen petitio nominis Pœnitenti nullum adferet incommodum, ſi ſciatur eſſe unus ex ordinariis hujus Confeſſarii Pœnitentibus, qui omnes ſunt, & eſſe volunt, noti ſuo Confeſſario, prout ipſi Confeſſario certiſſimè, conſtare poteſt.

Variæ ſunt præter has, rationes aliæ, ob quas, Confeſſario liceat petere nomen confitentis. Colligitur imprimis ex ipſa Synodo P. Mechl. prima tit: de Sacram cap. 5. ubi ſic dicitur: *Quod ad Sacramentum Pœnitentiæ attinet, mandat Synodus Paſtoribus omnibus, ut regiſtrum conficiant omnium, quorum tempore quadrageſimæ Confeſſiones excipiunt, atque ut in illud omnes alii, etiam Religioſi, ad audiendas Confeſſiones admiſſi, eos deſcribi curent, quorum Confeſſiones audierunt, & à Paſtoribus auditi non ſunt.*

Talia etiam ſtatuit Synodus Provincialis Cameracenſis ſub Berlaymon-

tio tit. 6. de Sacram. Pœnitentiæ cap. 9. item Synodus Buſcoducenſis ſub Maſio tit. 6. de Sacram. Pœnit. cap. 7. Vide S. Carolum in inſtruct. pœnit. idem colligitur ex praxi omnium, qui Humaniora docent, ſive Religioſorum ſive aliorum, jubentium, Studioſos confitentes ſingulos, ſingulis menſibus, nomen ſuum porrigere Confeſſario.

Porrò ut omnem Calumniandi anſam amputem, aperte dico: ſicut Juſtâ exigente Causâ &, ubi nullum inde incommodum imminet Pœnitenti, licet nomen ejus petere, ita petere non licet, ubi non eſt juſta cauſa, aut ſecus exigit incommodum confitenti obventurum.

RESPONSIO

Ad Accuſationem ſecundam.

SEcunda Accuſatio eſt, quod in Epiſtola ſæpius dicta, ratione inſtructionis hujus, *Confeſſarius non inquiret in nomen Complicis*, ſcripſiſſe dicar: *Numquid hoc ſæpè neceſſarium?* Videtur namque D. Steyaert in Animadverſione ad litteram B. exiſtimare, quod hoc numquam ſit neceſſarium; cui ego reſpondere poſſem, quod meâ illâ interrogatione non definiverim, quod hoc ſit neceſſarium, adeoque ſi oſtenderim id aliquando eſſe neceſſarium; non ex obligatione, ſed gratis hoc fecero.

Sub hac ergo proteſtatione rurſus peto; an non ſit neceſſarium, ut Confeſſarius interroget Pœnitentem de illis, ſine quorum manifeſtatione explicari non poſſunt circumſtantiæ ſpeciem mutantes uſque ad malitiam mortalem ſupervenientem primæ ipſius peccati malitiæ? Ita fieri oportere, ſalvis ſalvandis, nemo negare poteſt.

Fundamentum doctrinæ iſtius eſt, quod peccata mortalia omnia ſint in Confeſſione Sacramentali aperienda. Unde in Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. de Confeſſione, dicitur: " Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant: quòd ſine illis peccata ipſa neque à Pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innoteſcant: & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. "

Hinc Joannes Wiggers Scriptor Lovanii ſat notus & accuſatoribus noſtris minime ſuſpectus in ſupplem. S. Thomæ quæſt. 9. de Confeſſionis integritate art. 2. ait: " Si nullum aliud timeatur incommodum, quam quod Confeſſarius noverit Complicem eſſe reum talis peccati, oportebit illam circumſtantiam, quando novam & ſpecialem malitiam addit, cum manifeſtatione Complicis confiteri, non ſolum, ſi id poſtulet bonum ſpirituale Pœnitentis, v. g. ut à Confeſſario conſilium capiat, ne

„ iterum reincidat ; ſed etiam præciſè , ut fiat confeſſio Integra & addit : " *Eſt communior Doctorum ſententia, quia, inquit, illa revelatio Complicis „ non eſt niſi quadam materialis detractio ; non autem formalis : ut late deduxit Sua„ res diſp. 34. ſect. 2.* „ Hactenus Wiggers.

Hinc collige, quod, ſicuti tali caſu licita eſt Complicis manifeſtatio, ita quoque in illo liceat Confeſſario petere ea, ex quibus deventurus ſit in Complicis notitiam ; ſive, ut aliter exprimitur : *Petere nomen Complicis* ; cum per hoc aliud non intelligamus, quam petere qualitatem Complicis, etſi Confeſſarius inde deveniat in notitiam perſonæ Complicis.

Quod ſi neges fieri poſſe, neceſſum eſt, ut admittas, quod ſæpè Parochiani non poterunt Parocho ſuo integrè confiteri peccata commiſſa inter conjuges, fratrem & ſororem, &c. præcipuè ruri, ne in Paſchate quidem & in morbo ; quod ſine inconvenienti valde magno dici non poteſt. Vide Suares de Sacram. Pœnit. diſp. 34. num. 3. ubi pro Confeſſionis integritate etiam tunc facienda citat D. Bernardum, D. Thomam, D. Bonaventuram, Alenſem, Antoninum, Adrianum, Durandum, Paludanum, Ruardum, Gabriëlem, Almainum, Altiſſiodorenſem, Henricum, Carthuſianum, Gerſonem, Cajetanum, Medinam, Sylveſtrem, Angelum, Roſellam, à Victoria, Petrum Soto, Cordubam, Soto.

Wiggers loco citato dicit manifeſtationem Complicis etiam fieri poſſe, quando id poſtulat bonum ſpirituale Pœnitentis, v. g. ut à Confeſſario conſilium capiat, ne iterum reincidat, quæ aſſertio generalis varios caſus ſub ſe comprehendit, inter quos notabiliores ſunt, quod ſine illa notitia ſæpè Confeſſarius ſcire non poſſit, an aliquis debeat deſerere ſuum domicilium titulo occaſionis proximæ, præcipuè in materia carnis : etſi non illâ ſolâ. Nam quod ad materiam carnis attinet, fieri poteſt, ut ſi filia dicat ſe Complici cohabitare, in effectu, ut aiunt, cenſeatur in certis circumſtantiis ſuo Paſtori dicere Complicem eſſe ipſummet herum domus.

Etſi illa præcipuè locum habeant dum vitanda eſt occaſio proxima peccatorum carnis, poteſt tamen etiam ſimili ratione obtinere, dum declinanda eſt occaſio injuſtitiæ cum Complice committendæ, imo cujuſcumque alterius criminis.

Non ſolum bonum Pœnitentis ; ſed etiam ipſiuſmet Complicis in Confeſſionali procurandum per hunc Confeſſarium, exigere poteſt, præcipuè dum aliter ſpes nulla ſupereſt, quod Complex corrigetur, ut Confeſſarius de hac re per atteſtationem Pœnitentis convictus, Pœnitenti idcirco volenti Complicem manifeſtare, indulgeat, ut manifeſtet ; quod iterum non tantum in criminibus contra caſtitatem ; ſed etiam in aliis poſſet habere locum ; adeoque non infrequens eſt illa neceſſitas.

Exemplis res fiet manifeſta : in pagis, ubi Parocho tota familia omnium

nium Parochianorum nota eſt, fieri poteſt, ut committantur inceſtus inter fratrem & ſororem, peccata contra naturam inter Conjuges, incontinentiæ famuli aut heri cum ancilla, peccata injuſtitiæ Patris aut Matris-familias, quibus proles aut famulantes coguntur cooperari; puta in officinis per menſuras aut pondera injuſta: item blaſphemiæ, hæreſes, violationes feſtorum, veneficia, cooperationes ad commercia inhoneſta, &c. ad quæ à Superioribus ſuis Pœnitentes ſollicitantur, & quorum occaſiones declinare coguntur.

Non tantum Pœnitentis aut Complicis malum grave hac ratione avertendum, in certis circumſtantiis, poſtulant manifeſtationem Complicis; ſed etiam malum avertendum ab aliis, præcipuè, ſi ſit malum revera graviſſimum, ac tale, ad quod impediendum etiam titulo valde ſpeciali, imo titulo Juſtitiæ, pœnitens ſit obligatus; nec ſuperſit alia impediendi via, aut certe aliam ingredi nolit pœnitens, quam ut manifeſtet Complicem Confeſſario; maximè ſi inſuper his accedat, quod ex manifeſtatione nullum malum immineat pœnitenti, ut fieri poteſt ruri Paſtori detegendo ex. gr. Ludi-Magiſtrum, qui pagum totum, aut magnam ejus partem inficit per libidines cum ſuis Scholaribus.

Non ſolummodo jus naturæ, prout fit in omnibus caſibus ante dictis, ſed etiam jus poſitivum, in quibuſdam exigere poteſt Complicis denuntiationem, adeoque ſi Pœnitens adigi non poteſt, ut per alium, quam per Confeſſarium, denuntiet, poteſt (ſalvis ſalvandis) per jus poſitivum eſſe obſtrictus, ut ſaltem faciat per Confeſſarium; quod iterum in variis materiis locum habere poteſt, ut patet ex Scriptoribus tractantibus materiam denuntiationum.

Animadverſor, id eſt, D. Steyaert, in Theſi ſua majori de Pœnitentia §. 15. quædam his conformia tradit, dum verbis Ritualis Cameracenſis ait: *Nec tertii peccata inquirat, quando id non eſt neceſſarium*, cum ipſo rituali illic ſatis innuens, iſtud certis caſibus neceſſarium eſſe, & §. 94. ibidem aſſerit, ſe non dubitare, quin ita fieri debeat, dum mulier confitetur ſe peccaſſe cum homine Eccleſiaſtico, & probabilis eſt conjectura, fuiſſe mulieris illius Confeſſarium.

Conſentit Illuſtriſſ. D. Archiep. Cam. nuper defunctus, dum in cauſa PP. Oratorum Montenſium Animadverſori ſat nota, in ſententia tunc lata pronuntiavit: *Exiſtimamus omnes in hac conſentire..... reos aliquando teneri ad accuſandos ſuos Complices ob utilitatem, quæ inde manat in publicum.*

Poſſemus in hanc rem allegare S. Antoninum tertia parte tit. 14. c. 19. §. 11. ubi ſic ait, Confeſſor non debet interrogare ſpecificationem perſonæ, cum quâ Pœnitens peccavit, niſi in quantum eſſet circumſtantia neceſſaria dici, ſed ſi interroget non ex curioſitate, ſed ex charitate ut provideat, puta quia eſt prælatus, non credo quod male faciat. Similia habet S. Raymundus,

His affinia tradit S. Thomas opuſc. 12. ad Biſantinum his verbis : ſi „ poteſt ſpeciem peccati confiteri non innoteſcendo perſonam , cum qua „ peccavit, peccat eam exprimendo, niſi forte ſalvato correctionis ordine „ quem Dominus ſtatuit. Si vero ſpeciem peccati exprimere non poſſit; „ niſi exprimendo perſonam, cum qua peccavit, puta ſi cum ſorore con- „ cubuit, neceſſe, eſt ut exprimendo peccati ſpeciem, exprimat perſonam.

Alios inſuper Scholaſticos antiquos hic adjicere poſſemus, niſi putaremus eos hic plus licitum cenſere , quam nobis licere videatur ; imo ipſe Suarezius diſp. 34. ſect. 1. plus licitum cenſere videtur , dum ait omninò generatim : *Dicendum eſt ex legitima cauſa licitum eſſe perſonam Complicis & peccatum ejus in Confeßione revelare* , & addit : *eſt communis ſententia.*

His omnibus addimus Cardinalem de Lugo de Pœnit. diſp. 16. ſect. 8. ubi dicit : *Non tamen repugnat dari caſum in quo poßit Confeſſarius Pœnitentem obligare ad manifeſtandum ſibi Complicis nomen , non quidem quaſi Confeſſarius eam obligationem imponat , ſed quia revera pœnitens eam habeat , & Confeſſarius , qui ex ejus Confeßione hoc agnoſcit , admonet illum de ſua obligatione , cui ſi non vult ſatisfacere ; jam meritò ei abſolutionem negat , quem non invenit ad abſolutionem diſpoſitum. Porrò poſſe illum caſum contingere conſtat apertè ; quia poteſt Confeſſarius videre , ex occultatione Complicis , gravißima damna imminere , ad qua impedienda pœnitens omnino tenetur : rurſus videt pœnitentem ſeipſo immediatè id non poſſe exequi , nec habere alium per quem id poßit , præter ipſum Confeſſarium : quo caſu certum eſt teneri pœnitentem ad illud medium unicum eligendum , quod ſi eligere nolit , jam non eſt aptus ad abſolutionem recipiendam.*

His non obſtantibus , iterum rejicio hunc Articulum : *Qui ex Confeßione Joannis vel Complicis illius ſcit ejus peccatum per quod inidoneus ſit v.g. ad curam monialium poteſt ex iſta ſola ſcientia & ex illa ſola cauſa apud Collatorem cura procurare, ut Joannes talem curam non obtineat , ſaltem ſi moraliter certum ſit , quod nullus umquam cognoſcet hoc provenire ex Confeßione.* Similiter Articulum iſtum : *Qui in Confeßione audit peccatum , præſertim carnale , poteſt , per ſe loquendo , adigere pœnitentem , ut ſibi Complicem revelet ad eum corripiendum, vel denuntiandum.* Ad quos Articulos jam pridem reſpondi , quod neutrum illorum ullus umquam Lovanii docuerit.

Obſervandum , quod omnibus illis caſibus , quibus exprimendus eſt complex vel ex notitia Complicis aliquid agendum eſt apud perſonam diſtinctam ab ipſo confitente , cogitandum ſit , quid exigat ordo correctionis fraternæ ; & quod hic ſpeciale eſt, nota ante uſum iſtius notitiæ, obtinendum eſſe a pœnitente conſenſum in iſtum uſum; adeoque in eum finem oſtendenda erit ipſi Pœnitenti obligatio , quam , ut ſupponimus , revera habet pœnitens , ut per ſe , vel per alium id agat circa Complicem , quod fieri exigunt jus naturæ , vel jus poſitivum , vel utrumque ſimul.

De iis , quæ hic exigit jus naturæ , multis jam locuti ſumus ; de iis, quæ

jus

jus poſitivum poſtulat, vide Bonacinam in tractatione ſua ſexta, quæ eſt de onere & obligatione denuntiandi eos, quos jura vel edicta denuntiari præcipiunt; ubi hic auctor mentionem facit binæ conſtitutionis Gregorii XV. quarum altera eſt de denuntiandis quibuſdam cum dæmone pactum habentibus; altera Pontificis ejuſdem de denuntiandis quibuſdam ſollicitantibus Pœnitentes ad impudica.

Porrò hæc poſtrema conſtitutio edita eſt 30. Auguſti anno 1622. extat in Bullario Lugduni edito anno 1655. tom. 3. pag. 432. ubi etiam mentio fit conſtitutionis ſimilis, Pii IV. & Pauli II. mandaturque in Gregoriana, ut quod per eam decernitur, in quibuſvis Chriſtiani orbis partibus, firmiter & inviolabiliter obſervetur. "Statuimus, inquit Gregorius XV. „decernimus, & declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes tam Sæ„culares quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi „Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum, Ordinum, inſtitutionum, Socie„tatum, & Congregationum, Regulares cujuſcumque dignitatis & præ„eminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæ„cumque illæ ſint, ad inhoneſta ſive inter ſe ſive cum aliis quomodolibet „perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive antea vel poſt im„mediatè, ſeu occaſione vel prætextu, Confeſſione non ſecuta; ſive ex„tra occaſionem Confeſſionis; in Confeſſionali aut in loco quocumque „ubi Confeſſiones Sacramentales audiuntur ſeu ad Confeſſionem audien„dam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſollicitare aut cum „eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in officio „S. Inquiſitionis ſeveriſſimè ut infrà, puniantur. Et prætereà omnes hæ„reticæ pravitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regno„rum, Provinciarum, Civitatum, Dominorum, & locorum univerſi „orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus & Territoriis per has no„ſtras litteras, etiam privativè quoad omnes alios ſpecialiter, ac perpe„tuò judices delegamus, ut ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſepa„ratim in omnibus, prout in cauſis fidei, juxta Sacrorum Canonum for„nam, nec non officii Inquiſitionis hujuſmodi Conſtitutionis, Privile„gia, Conſuetudines & Decreta diligenter inquirant, & procedant: & „quos in aliquos ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, „in eos pro criminum qualitate & circumſtantiis, ſuſpenſionis ab execu„tione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum & officiorum quo„rumcumque ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ & „paſſivæ, ſi regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremus, & car„ceres etiam in perpetuum abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decer„nant: eos quoque ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, „debitâ præcedente degradatione, Curiæ ſæculari puniendos tradant.

„Dantes etiam Facultatem Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E.

„Cardi-

„ Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & „ Eccleſiæ Dei tam periculoſum, ob probationum defectum, impunitum, „ cum difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus, concurrenti- „ bus præſumptionibus, judiciis, & aliis adminiculis, delictum proba- „ tum eſſe arbitrio ſuo judicandi & curiæ ſæculari, ut præfertur, reum „ tradendum eſſe pronuntiandi.

" Non obſtantibus Omnibus quæ Pius IV. prædeceſſor in ſuis litteris „ prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

" Mandantes omnibus Confeſſariis; ut ſuos pœnitentes, quos noverint „ fuiſſe ab aliis ſollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi ſollici- „ tantes, ſeu ut præfertur tractantes, Inquiſitoribus ſeu locorum Ordi- „ nariis prædictis: quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes „ docuerint, non teneri ad denuntiandum Confeſſarios ſollicitantes ſeu „ tractantes ut ſupra; iidem locorum Ordinarii & Inquiſitores, illos pro „ modo culpæ punire non negligant.

Priuſquam ad tertiam accuſationem reſpondeam, lectorem hujus Apologiæ premonitum adhuc velim de propoſitione ſecunda inter Accuſatas, hac ſcilicet: *Nunquid ſæpe neceſſarium eſt inquirere in nomen complicis.* Duplici ſenſu illam poſſe accipi; primo namque capi poteſt, quaſi frequentius, quam non liceat, id licere cenſerem: qui ſenſus ab animo meo maximè eſt alienus: Alius ſenſus eſt, juxta quem ſignificem multis caſibus id licitum eſſe, quamvis longè pluribus iſtud judicem non licere; ſicuti dicimus homines ſæpè mori ſubitò; etſi incomparabiliter ſæpius id non contingat; quo ſenſu illam, & intelligo, & procul-dubio intellexi, ſi tamen mea ſit.

Multum ergo falluntur, qui me pro regula ſtatuere fortaſſis putant, quod nomen Complicis in Confeſſione petere liceat, ita ut pro exceptione à regula habendi ſint caſus, quibus non licet, quin econtra dico, pro regula habendum potius, quod non liceat, & pro exceptione, quod liceat.

Duo inſuper hic obſervanda ſentio; ſcilicet, ut tam in revelatione complicis, quam in uſu ſcientiæ ex confeſſione, obſervetur ordo correctionis fraternæ, & in omnibus ordo charitatis; adeoque non ſit infamandus complex, ubi hoc neceſſum non eſt, præcipuè in criminibus enormibus.

Ne etiam cavillandi occaſio arripiatur ex iis quæ hic dicta ſunt de *nomine* Complicis, dico me nullam vim facere in voce *nomen*, quaſi petendum eſſet, an ex. gr. Joannes vel Petrus vocetur; hoc enim ad hanc rem nihil omnino facit, ſecus an complex ſit frater Pœnitentis, an ſit perſona cui cohabitet pœnitens, an uxor; &c. de talibus proinde potius, quam de nomine *Joannes* vel *Petrus*, ſalvis ſalvandis, eſt inquirendum; aliud igitur non intelligo per petitionem nominis quam inquiſitionem in illa (puta ad Sacramenti Adminiſtrationem pertinentia) ex quibus contingit, ſaltem ob circumſtantias hic & nunc exiſtentes, noſci perſonam complicis.

RESPONSIO
Ad Accuſationem tertiam.

TErtia Accuſatio eſt, quod in Epiſtola cujus toties facta eſt mentio, ratione inſtructionis Confeſſariis tradi ſolitæ his verbis; *quod non utetur ſcientia ex confeſſione*, ſcripſiſſe dicar: *quaſi verò non liceret ob confeſſionem negligentiæ ipſius Paſtoris, Confeſſarii, Patris aut Matris-Familias penitius interrogare ejus ſubditos, pœnitentes, filios, & alias ſæpius ob Confeſſionem unius Sodalium & collegarum, magis examinare alios.*

Duo hic diſtinguenda ſunt, doctrina ſcilicet & exemplum: doctrina eſt, quod ſæpè neceſſarium ſit uti ſcientiâ ex Confeſſione habitâ: hoc enim tunc oportet, quando ex illo uſu, ab una parte exſpectatur magna utilitas, & ex parte altera nulla omnino eſt etiam indirecta Confeſſionis revelatio, vel revelationis periculum; nullum quoque omnino ipſius Pœnitentis gravamen, nullumque prorſus periculum, ne Sacramentum inde fiat odioſum.

Hinc in capitulo, Omnis utriuſque ſexus, conceditur Confeſſario, ut, ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud requirat, ſed abſque expreſſione perſonæ & cautè admodum: porrò ſi prudentius conſilium liceat requirere, licet imprimis in ordine ad iſtam conſilii requiſitionem, uti ſcientia ex Confeſſione habitâ, ut admittunt Theologi omnes.

Secundò licitum eſt in Confeſſione ſubſequenti, ex. gr. Joannis, uti ſcientia habita ex anteriori Confeſſione ejuſdem Joannis, eum monendo, & muniendo contra reincidentias: nam illis ac ſimilibus titulis ſuadetur omnibus, ut utantur conſtanter Confeſſario ſemper eodem.

3. Confeſſarii antiquiores, dum ratione frequentioris auditionis Confeſſionum acceperunt peritiam exercendi munia Confeſſarii, poſſunt eamdem peritiam docere Confeſſarios juniores, atque ita in ordine ad hunc finem, uti ſcientia ex Confeſſione, dum in eo nulla eſt etiam indirecta Confeſſionis revelatio vel revelationis periculum, nullum quoque pœnitentis aut alterius gravamen, nullumque periculum, ne Sacramentum inde fiat odioſum.

4. Poteſt Examinator pro Confeſſionibus aliquos examinare circa hujus illiuſve generis caſus, ex. gr. uſurarum, rixarum, neglectus officiorum, &c. circa quos ex anteriori auditione Confeſſionum novit Confeſſarios maximè debere eſſe inſtructos.

5. Poteſt Confeſſarius, noſcens ex confeſſionum auditione certum rigorem eſſe noxium Pœnitentibus, inſtruere alios Confeſſiones audituros, ne ſimili rigore utantur.

6. Po-

6. Poteſt ergo ſimiliter Confeſſarius ex confeſſionum auditione noſcens certam laxitatem eſſe noxiam Pœnitentibus, alios confeſſiones audituros monere, ne tali laxitate pœnitentibus ſuis ſint in damnationem.

Similia locum habere poſſunt circa omnes & ſingulos defectus à Confeſſariis fortè committendos. Item circa omnia vitia omniumque vitiorum occaſiones & effectus, de quibus ex auditione confeſſionum Confeſſarius habeat experientiam per quam valeat alios ſive Confeſſarios, ſive Pœnitentes inſtruere.

7. Poteſt aliquis, quando ex Confeſſione Paſtoris, Confeſſarii, patris, aut matris familias, novit eos in officio ſuo eſſe ſummè diligentes, minus anxiè de credendis, agendis, &c. examinare eorum ſubditos, Pœnitentes, filios, ſæpius ob Confeſſionem unius Sodalium aut Collegarum, dum ex illa noſcitur eminens vivendi modus iſtius Collegii aut Congregationis, minus eſſe ſollicitus, ut eos inſtruat de modo vivendi.

8. Similiter, imo potiori jure, dicendum videtur, quod liceat ob Confeſſionem negligentiæ ipſius Paſtoris, Confeſſarii, Patris aut Matris familias, penitius interrogare ejus ſubditos, Pœnitentes, filios & alias ſæpius ob Confeſſionem unius Sodalium aut Collegarum, magis examinare alios de credendis, ſperandis, amandis, &c.

Atque ita jam reſponſum eſt non ſolum pro doctrina Accuſationis tertiæ; ſed etiam pro exemplis; nam quod ad exempla attinet, ſunt illa ipſa, quæ octavo loco hic allegamus.

Ipſemet Animadverſor in ſuis Aphoriſmis de Pœnitentiâ §. 13. num. 14. tradit ſequentia: *In quæſtione, an extra Confeſſionem nullo modo liceat uti notitia intra eam parta: rectè reſpondetur non generatim id eſſe illicitum: orare poſſum, & orari facere pro iis, quos ex Confeſſione novi oratione indigere. Non tantùm interrogationes in Confeſſione, ſed & monitiones in concione dirigere poſſum ex hac ſcientia: magna tamen cum cautela. Ipſe-met evitare poſſum malum meum, quod ſcio ex Confeſſione, ſi nullo modo in ſuſpitionem adducatur malè faciens nec etiam exprobratio illi fieri videatur. Quin & juxta S. Thomam monere poſſum alios, ut ſibi ſuiſque invigilent, modo nec ſic ſuſpicio generetur, non dico de revelatione ſed de peccato aut peccatore. Ratio omnium eſt, quia, ut ſupponitur, nulla oritur ſuſpitio de peccato, nullum quoque gravamen vel apparens fit peccatori, nihil denique intervenit quod odioſam reddat confeſſionem.*

Ne quemquam hîc iterum moveat, quod in propoſitione accuſata dicatur & alias *ſæpius* ob Confeſſionem unius Sodalium, aut Collegarum licitum eſt magis examinare alios, nota voce *ſæpius*, ſolummodo indicari, quod iſtud liceat adhuc ſæpius, quam in caſibus ante expreſſis.

QUÆ-

QUÆDAM NOTANDA
Circa tres Accuſationes junctim.

POrrò quæ ad tres ante dictas Accuſationes hactenus reſpondi, optem non accipi veluti dicta eo fine, quaſi inſtructiones Confeſſariis tradi ſolitas, aut nunc velim, aut ab annis 10. vel 11. voluerim rejicere; ſed ut pateat, quare Confeſſarii quidam tunc recenter approbati, anxiii fuerint circa promiſſionem de illis obſervandis, ſi ut apprehendebant univerſaliter & ſine exceptione intelligi deberent.

Vel hinc cernere licet iſtorum Confeſſariorum ſinceritatem, quod auſi non fuerint promittere univerſaliter, quæ cenſebant non obſervanda univerſaliter.

RESPONSIO
Ad reliqua, quæ continentur ſcripto impreſſo edito per M. S. V. A.

DOminus Steyaert teſtatur, quod in epiſtola, quam à me ſcriptam dicit, quaſi P. S. habeatur: ***Numquid Religioſi per iſtas monitiones poterunt inſigniter defendere ſuas intollerabiles negligentias circa ante dicta? Numquid etiam poterunt per illas monitiones zeloſorum Confeſſariorum praxim impugnare?*** Ad quæ reſpondeo, me neſcire, quâ ratione aut in quibus circumſtantiis iſtud potuerit a me ſcriptum fuiſſe: iſtud videtur tantummodo intelligendum de Religioſis dicentibus, ſe non debere examinare pœnitentes, an ſint ſatis inſtructi? Etenim ſe poſſe, & debere ſupponere, quod Paſtores ſatis eos inſtruant in Catechiſmis; ſiquidem notum eſt, hoc à variis Religioſis aliquando dictum fuiſſe: hæccine an alia fuerit iſtud ſcribendi occaſio, ignoro. Hoc unum ſcio, non eo affectu in epiſtola, ſi mea ſit, expreſſum eſſe, ac ſi Viros Religioſos univerſaliter culpare vellem de tali neglectu; ſimiliter iſtas negligentias adſcriptas non velim, aut adſcribere poſſum, ſolis quibuſdam Religioſis: omnino quoque mihi perſuadeo, quod amicus, ad quem epiſtola directa fuerit, de hac mente mea dubitare nequaquam potuerit.

In Eodem folio per D. Steyaert edito habetur ut ſequitur:

RE-

RESOLUTIO
Epiſtolæ adſcripta.

UBi *lex naturalis & Divina concurrunt cum humanis ordinationibus, hæ cedere debent; & pariformiter Illuſtriſſimus ac Reverend. D. Archiepiſcopus pro hac ſua Diœceſi judicat intelligendas inſtructiones prædicatoribus, & Confeſſariis obſervandas.*

Quis, inquit Animadverſor ad litteram H, Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Archiepiſcopus ſic explicare potuerit mentem ſuam, ſatis mirum eſt? Cui ego; Illuſtriſſimum ac Reverend. illum D. Archiepiſcopum debuiſſe eſſe Alphonſum de Berges Illuſt. ac Reverend. D. Archiep. moderni prædeceſſorem, cujus reſolutio & in ſe continet axioma veriſſimum, & præſenti quæſtioni de inſtructionibus Epiſcopalibus, maximè opportunum, quod binis interrogationibus oſtenſurus ſum.

Prima hæc eſt: numquid ordinationes merè humanæ cedere ſemper debent legi naturali & divinæ, dum illæ his repugnant?

2. Interrogatio eſt: nonne dantur ſaltem aliqui caſus, in quibus jus naturale exigit, ut à Confeſſario noſcatur perſona pœnitentis, ſive per nomen ſive alio modo, & ſimiliter ut complex innoteſcat Confeſſario, &c.

Poteſtne circa alterutram illarum interrogationum dubitari? Proculdubio dices non poſſe; fatere ergo, quod Illuſt. D. Archiep. defunctus ſolidiſſime reſponderit: *Ubi lex naturalis & divina concurrunt ſive repugnant cum humanis ordinationibus* (prout in quibuſdam caſibus repugnant inſtructionibus Confeſſariorum, ſi omnino generaliter accipiantur) *hæ cedere debent.* Puta in caſibus repugnantiæ, quandoquidem in illis ſimul cum lege naturali ſervari non poſſint.

CONCLUSIO.

EN genuinam deductionem adverſus accuſationes tres Romæ primum ſcripto incœptas jam fere ab anno, deinde Lovanii prælo reſumptas, nimirum 29. Aprilis Anni hujus 1697. id eſt, die eâdem, quâ Doctori Huygens ablata eſt poteſtas audiendi Confeſſiones & Concionandi.

Quare hujus deductionis Lectori duo expendenda relinquo; alterum, an Dominus Steyaert, cujus nomen in ſcripto, quod prælo editum diximus, exprimitur, non voluerit ſaltem ſuſpicionem ingerere, quod poteſtas Concionandi & Confeſſiones audiendi mihi ablata ſit ob epiſtolam ſæpius dictam?

Alte-

Alterum, an in ſcriptione iſtius Epiſtolæ Lector hujus Apologiæ reperiat culpam aliquam, & ſi aliquam, an proportionatam pœnæ pro ea inflictæ, præcipuè cum ſuis circumſtantiis omnibus, etiam toto Belgio infamantibus, conſideratæ?

F I N I S.

Lectâ hâc Apologiâ Doct. H u y g e n s. *conſeo quod juſtè & dignè mediante prælo publicari poſſit. Dab. 15. Julii 1697.*

Joan. le Breau S. Adalberti Leod. Curio-Decan. Exam. Synod.